# LITTERARUM

# UNIVERSITATI LUGDUNO-BATAVAE

## SAECULARIA TERTIA

GRATULATUR

RECTOR ET SENATUS LITTERARUM UNIVERSITATIS BERNENSIS.



ADDITA EST G. RETTIGII DE PANTHEISMO QUI FERTUR PLATONIS COMMENTATIO ALTERA.

BERNÆ
TYPIS JENTII ET REINERTII SOCIORUM
MDCCCLXXV.

# LITTERARUM
# UNIVERSITATI LUGDUNO-BATAVAE
## SAECULARIA TERTIA

GRATULATUR

RECTOR ET SENATUS LITTERARUM UNIVERSITATIS BERNENSIS.

ADDITA EST G. RETTIGII DE PANTHEISMO QUI FERTUR PLATONIS COMMENTATIO ALTERA.

BERNÆ
TYPIS JENTII ET REINERTII SOCIORUM
MDCCCLXXV.

# AMPLISSIMO SENATUI

# UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE

RECTOR ET SENATUS

# UNIVERSITATIS BERNENSIS

# S.

Litteris Vestris utraque lingua humanissime scriptis certiores facti Vos sæcularia tertia conditæ Universitatis sollenniter obire velle, et honorificentissime a Vobis invitati ut lætitiæ Vestræ participes esse vellemus, huic desiderio Vestro tanto libentius paruimus legatis mittendis, quanto magis admiramur virtutem maiorum Vestrorum quorum honori, post longam obsidionem fortissime toleratam, datum est a grata patria ut Universitas Vestra, firmissimum libertatis propugnaculum, apud Vos conderetur, quantoque interioribus libertatis, fidei, societatis, amicitiæ vinculis inde ab omni ætate Vobiscum coniuncti fuimus, et quanto maiora etiam ad nos ex Universitate Vestra beneficia redundarunt. Ex quo enim tempore inclita Universitas Vestra condita est, tantum apud Vos bonæ artes et litteræ, cum aliæ tum antiquitatis potissimum Latinæ atque Græcæ studia incrementum ceperunt, tantus apud Vos per omnes ætates Virorum ingenio et doctrina non solum insignium sed vere principum numerus extitit, ut natio Vestra, parva numero, hac in re omnes nationes si non superaret at æquiperaret, et ut Universitas Vestra schola Orbis haberetur. Confluere ad Vos ex omnibus terris homines discendi causa, etiam nostri, inprimis theologi et linguarum antiquarum futuri professores, sed etiam alii, in quorum numero nominare liceat Albrechtum Hallerum, Boerhavii auditorem, Operum editorem, civem nostrum. His non contenti tanto litterarum promovendarum studio incensi fuistis, ut alienos etiam homines, qui litterarum laudibus florerent

professorum munere et honoribus ornaretis, quorum etiam celeberrimus Daniel. Wyttennbach. fuit, civis noster. His igitur maiorum Vestrorum meritis et Vestris et perpetuæ societatis et amicitiæ vinculis Vobiscum coniuncti et obligati, quum eadem utrisque semper pericula imminerent et timenda essent, eosdem amicos eosdem inimicos et hostes haberemus, — cuius rei inter alia synodus Dortrechtensis quamvis lugubre documentum est, quam rogatu maiorum Vestrorum, iisdem quibus Vos periculis circumventi, legatis obivimus, — Vobis bona omnia optamus et pia Vota nostra cum Vestris coniungimus, Deum precantes ut Vestra salus duret et ut Universitas Vertra, ut hodie Viris præstantissimis et doctissimis ornata est et floret, in posterum floreat, nec solum gentis Vestræ, sed etiam aliarum gentium commodis et felicitati inserviat, libertatis, studiorum, ingeniorum præsidium validum sit et perenne propugnaculum. Quod Deus faxit. Valete nobisque favete.

Berna Kal. Febr. a. MDCCCLXXV.

*Nomine Senatus Academici*

**Rector.**

# G. RETTIGII DE PANTHEISMO QUEM FERUNT PLATONIS COMMENTATIO ALTERA.

Ante omnia Vos, quorum honoris causa hæc scripsimus, Viri humanissimi, rogatos volumus, ut boni consulatis propter instantes dies festos scripta, inter curas et negotia, tempore brevissimo. Nam rem ipsam non est quod Vobis pluribus commendemus, gravem per se et cum studiis, quæ omni tempore apud Vos culta sunt, cum maxime coniunctam. Sed accipite quæ res agatur.

Ed. Zellerus V. D. reprehensus a me quod, quum *Αἰτίαν* in Philebo, (quam eandem ideam boni et summum expetendorum finem esse vult), pro summa causa motrice haberet, tamen præter eam Deum adhiberet,[1]) nunc aegre ferens reprehensionem ex lectore quærit, an sic Plato non pantheista fieret.[2])

Quam rem haud ita magnam calamitatem fore putat, si vere eveniret, multoque minus causam sufficientem ad improbanda ea, quæ scientiæ rationibus efficiantur. De qua re diversæ sunt hominum doctorum sententiæ, ego magnam putem, maximam vero eam quæ scientiæ et litteris et fidei historicæ inde paretur. Idem deinde, non agi omnino eam rem h. l. præfatus, surgente affectu eum, qui dissertationem de *Αἰτίᾳ* Philebi vel de Pantheismo quem ferant Platonis inscripserit, pantheismi vim et naturam parum perspectam habere pronuntiat. Platonem enim, etiamsi Deum personam esse negavisset, multum abesse ab eo ut pantheista sit, qui nec dualismum idearum et materiæ, nec disiunctionem idearum et rerum, nec ipsarum idearum sustulerit; eam autem disputationem quam ego impugnem, non id sibi propositum habere ut ostendat, Platonem Deum personam esse negavisse, sed id ut Platonem eam rem non quæsivisse doceat. Mirabiliter sane et *σοφιστικῶς*. Nam docetur his Platonem ne pantheistam quidem fuisse

---

[1]) Cfr. comment. nostram de *Αἰτίᾳ* in Philebo a. 1866 editam.

[2]) Cfr. Ed. Zelleri hist. phil. gr. II, 1. p. 601, 3. ed. 3.

sibi constantem. Ego autem Platonem non dico pantheistam futurum esse, sed Zellerum id agere ut philosophiam eius ad pantheismum quam proxime adduceret eique quam simillimam redderet. Hæc sunt quæ vere monita tantam V. D. iram concitaverunt. Sed accedamus ad rem. Agam vero sic, ut, quum omne de *Αἰτίας* in Philebo significatione iudicium, utrum de Deo, quæ nostra, an de idea boni, quæ Zelleri sententia est, dictum sit, a significatione vocabuli *πέρας* in eodem libro pendeat, primum Platonis ex Philebo locos, qui in censum veniunt, explorem, deinde ad Zelleri rationes examinandas pergam et deinceps reliqua addam, quæ ad causam pertinent.

Initium faciam a loco Philebi p. 16, C. sq. *καὶ οἱ μὲν παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ ἐκ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν αὐτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων. δεῖν οὖν ἡμᾶς τούτων οὕτω διακεκοσμημένων ἀεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν· εὑρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν· ἐὰν οὖν μεταλάβωμεν, μετὰ μίαν δύο, εἴ πως εἰσί, σκοπεῖν, εἰ δὲ μή, τρεῖς ἤ τινα ἄλλον ἀριθμόν, καὶ τῶν ἓν ἐκείνων ἕκαστον πάλιν ὡσαύτως.* Describitur eo loco dialectica disserendi ratio, (cfr. p. 17, A.), cuius vis ea est ut rerum ideas indaget et nulla re extrinsecus in auxilium vocata, analytica et synthetica disserendi via utens a summis ideis ad inferiores ab inferioribus ad summas et ascendat et descendat, multum illa hac methodo a ratione mathematicorum discrepans. Cfr. Pol. VI, 511, B. Esse in his *πέρας* de ideis usurpatum apparet inde, quod ideæ quæ quæritur, (cfr. p. 16, D.), inveniendæ spes inde pendet, quod eius notio *πέρατι* circumscripta est. Nec id dubitatur a quoquam. Cfr. Stallbaum. ad h. l. et Proll. p. 29 sqq. Non abhorrere igitur videbitur a probabilitate ut eadem vocis notio, quam h. l. habet, seriore huius scripti loco aut redeat, aut eidem saltem cognata sit.

Iam pergamus ad alia. Philebi p. 23, C. sq. leguntur hæc: *ΣΩ. πάντα τὰ νῦν ὄντα ἐν τῷ παντὶ διχῇ διαλάβωμεν, μᾶλλον δ', εἰ βούλει, τριχῇ. ΠΡΩ. Καθ' ὅ τι φράζοις ἄν. ΣΩ. Λάβωμεν ἄττα τῶν νῦν δὴ λόγων. ΠΡΩ. Ποῖα; ΣΩ· Τὸν θεὸν ἐλέγομέν που τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων, τὸ δὲ πέρας; ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν. ΣΩ. Τούτω δὴ τῶν εἰδῶν τὰ δύο τιθώμεθα, τὸ δὲ τρίτον ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι ξυμμισγόμενον. εἰμὶ δ', ὡς ἔοικεν, ἐγὼ γελοῖός τις ἱκανῶς, κατ' εἴδη διιστὰς καὶ συναριθμούμενος. ΠΡΩ. Τί φής, ὦ 'γαθέ; ΣΩ. Τετάρτου μοι γένους αὖ προσδεῖν φαίνεται. ΠΡΩ. Λέγε τίνος. ΣΩ. Τῆς ξυμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα τὴν αἰτίαν ὅρα, καὶ τίθει μοι πρὸς τρισὶν ἐκείνοις τέταρτον τοῦτο.* Dicit igitur Socrates se *omnia quæ nunc sint* bifariam, immo trifariam dividere velle. Quod cur eum facere putemus? Non aliam ob causam, quam quod duo tantum rerum genera realia, vel si mavis materialia agnoscit, non plura. Tertium rerum genus ex his duobus mixtum est. Attendendum est in his primum quod etiam realia rerum principia ad Deum auctorem referantur; deinde quod propositum Socrati sit hoc loco rerum genera *κατ' εἴδη διιστάναι καὶ συναριθμεῖσθαι*, i. e. omnia complecti nec quidquam omittere. Præterea tenendum est esse duo rerum principia realia, quibus utatur

Plato, ideas et materiam, tertium nusquam reperiri. Non posse igitur h. l. de rebus mathematicis sermonem esse, quæ ideis et rebus sensibus subiectis interpositæ, (cfr. Pol. VI, 509, D. sqq. 511, C. sqq.) nusquam principiis realibus annumerentur, sponte apparet; porro, quæ de quarto genere dicantur ea ad causam motricem pertinere, i. e. ad Deum, non ad ideam boni, quæ Zelleri opinio est. Earum rerum quas hoc loco ponimus ulteriora argumenta habemus congruentem cum his Timæi doctrinam et idearum naturam, quæ solæ *οὐσίας* rerum causæ sint, perraro agendi facultate præditæ inveniantur, secundum Aristotelem adeo ea facultate careant. Cfr. Aristot. Met. I, 9, 991, a, 20. 992, a, 24. XII, 10, 1075, b, 19. all. Conferamus nunc cum his Timæi doctrinam et videamus quantopere utriusqué libri dogmata inter se conspirent. In Timæo, p. 27, E. sq. postquam idearum et rerum sensibus subiectarum mentionem fecit, prorsus eodem modo ut h. l. et Philebi pag. 26, E., sq., auctor addit: *πᾶν δὲ αὖ τὸ γιγνόμενον ὑπ' αἰτίου τινὸς ἐξ ἀνάγκης γίγνεσθαι· παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν. ὅτου μὲν οὖν ἂν ὁ δημιουργὸς πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον βλέπων ἀεὶ — ἀπεργάζηται κτλ. τὸν δημιουργὸν τῷ αἰτίῳ*, quippe idem, substituens. In his igitur iniuria hæsit Zellerus miratus quod sic subita a causa ad opificem transitio fiat. Cfr. tamen Phileb. p. 26, E. Porro p. 34, E. sqq., postquam eodem modo ut h. l. factum est quattuor rerum genera commemoravit, quæ causæ et principia animæ mundi habenda sint, addit: *καὶ τρία λαβὼν αὐτὰ ὄντα συνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταὐτὸν συναρμόττων βίᾳ.* Opus igitur esse vides opifice, qui principium rerum materiale cum ideis, res natura dissociabiles, coniungat. Res mathematicas a rebus sensibus subiectis tantum abhorrere ut ad societatem cum iis ineundam eas cogi necesse sit, nusquam dicitur apud Platonem. Dissociabiles vero sunt ideæ et remotæ a rebus terrenis. Vel hanc igitur ob causam *πέρας* h. l. de rebus mathematicis non potest dictum esse.

Ibidem p. 48, E. sqq. eadem rerum in genera sua distribuendi methodo non ex omni parte vera et correctione indigente utitur philosophus, qua hoc Philebi loco usum esse videmus. An talia casu accidere putemus nec apertum est Platonem hæc in Timæo scribentem ad ea quæ in Philebo scripserat respexisse? Denique p. 52, D. rerum genera tria eodem ordine recensentur quo in Philebo, ita quidem ut eadem adeo verba recurrant, quæ illic adhibita sunt. Vix igitur licet Philebum aliter accipere atque hi Timæi loci et accipiuntur et accipi debent. Quod si igitur in Timæo rebus mathematicis locus non est in his, nec in Philebo erit, porro quum in Timæo rerum elementum præcipuum ideæ sint, eædem etiam in Philebo locum suum obtinebunt; denique quum in Timæo causa motrix (*τὸ αἴτιον*) Deus sit, etiam in Philebo causa cuius idem munus est non poterit non Deum significare.

Magnam vero difficultatem creare videtur Philebi locus qui est p. 25, A. *ΣΩ. Οὐκοῦν τὰ μὴ δεχόμενα ταῦτα, τούτων δὲ τὰ ἐναντία πάντα δεχόμενα, πρῶτον μὲν τὸ ἴσον*

*καὶ ἰσότητα, μετὰ δὲ τὸ ἴσον τὸ διπλάσιον καὶ πᾶν ὅ τί περ ἂν πρὸς ἀριθμὸν ἀριθμὸς ἢ μέτρον ᾖ πρὸς μέτρον, ταῦτα ξύμπαντα εἰς τὸ πέρας ἀπολογιζόμενοι καλῶς ἂν δοκοῖμεν δρᾶν τοῦτο· ἢ πῶς σὺ φῄς; ΠΡΩ. Κάλλιστά γε, ὦ Σώκρατες.* Quæ verba si sic accipi deberent ut accipiuntur a Zellero et ut accipi posse videntur, si argumenti et nexus sententiarum ratio non habeatur, actum esset de causa nostra et esset alia difficultatis expediendæ ratio ineunda. Debentne autem sic accipi, quemadmodum accipiuntur ab iis, qui sermonis philosophici et vocabulorum artis rationem non habent, nec respiciunt, quod hæc Philebi pars Pythagoræismi quodam colore Platonici infecta est, si argumenti et sententiarum nexus ratio habeatur verbaque adeo ipsa id vix admittant? Cfr. Phileb. p. 16, C. 64, D. sqq. et priorem commentationem nostram p. 15, sqq., quo loco demonstravimus omnia ea vocabula quæ h. l. occurrant etiam de ideis, seu numeris *εἰδητικοῖς*, et sæpissime quidem usurpata esse. Cfr. et Phæd. p. 105, A. sq. Aristot. Met. I, 6, 987, b, 20 sq. 27, sqq. Theophr. Met. 313,7. *Πλάτων μὲν οὖν ἐν τῷ ἀνάγειν (τὰ ὄντα) εἰς τὰς ἀρχὰς δόξειεν ἂν ἅπτεσθαι τῶν ἄλλων, εἰς τὰς ἰδέας ἀνάπτων, ταύτας δ' εἰς τοὺς ἀριθμούς.* Cfr. et A. Trendelenburg. de Philebi Plat. consilio p. 7. ann. 9 et quæ de eadem re in huius commentationis parte altera dicentur. Quod si sic accipiantur, vides congruere hunc locum cum prioribus et cum omni disputationis argumento et reliqua philosophiæ Platonicæ doctrina, et *πέρας*, quod oppositum sit *τῷ ἀπείρῳ*, etiam h. l. ideam significare. De significatione vocabuli *μέτρον*, quod Pythagoræismi illius gravissimum indicium est, serius singillatim dicetur; *ἰσότητος* vero vocabulum de reliquorum significatione videtur dubitationem eximere debere, quippe sollemne de ideis. Cfr. et Zeller. l. l. II, 1. p. 254, 1. not. 1. ed. 3.

Ex eadem idearum cum numeris Pythagoræorum[1]) consociatione ea, qua horum in locum illæ substituuntur, explicationem habet, quod in iis quæ sequuntur Socrates ex finiti et infiniti coniunctione sanitatem, musicam, cæli aërisque temperiem, tempestates anni, pulchritudinem, robur corporis, animi virtutes repetit. Ac virtutum animi verum fontem esse ideas docent *Πολ.* IV, 435, D. VI, 504, B. 505, B. all. Cfr. etiam infra p. 64, E., quo loco earum virtutum quæ coniunctæ ideam boni efficiant præcipua nominatur *τὸ μέτρον* ex quo et pulchritudo et virtus originem habeant.

Non prætereundus est etiam is locus in quo *γένεσις εἰς οὐσίαν*, (cfr. p. 26, D.), quod alibi apud Platonem idearum munus est, fini tribuitur et mensuris inde repetitis.

Cum his coniunctus est is locus a quo omnis hæc disputatio proficiscitur, p. 26. E. *ΣΩ. Ἀλλὰ δὴ πρὸς τρισὶ τέταρτόν τι τότε ἔφαμεν εἶναι γένος σκεπτέον· κοινὴ δ' ἡ σκέψις. ὅρα γάρ εἴ σοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι πάντα τὰ γιγνόμενα διά τινα αἰτίαν γίγνεσθαι. ΠΡΩ. Ἔμοιγε· πῶς γὰρ ἂν χωρὶς τούτου γίγνοιτο; ΣΩ. Οὐκοῦν ἡ τοῦ ποιοῦντος φύσις οὐδὲν πλὴν ὀνόματι τῆς αἰτίας διαφέρει, τὸ δὲ ποιοῦν καὶ τὸ αἴτιον ὀρθῶς ἂν εἴη λεγόμε-*

---

[1]) Cfr. Stallb. ad h. l. et Zeller. l. l. I. p. 246 sqq.

*νον ἕν; ΠΡΩ. Ὀρθῶς. ΣΩ. Καὶ μὴν τό γε ποιούμενον αὖ καὶ τὸ γιγνόμενον οὐδὲν πλὴν ὀνόματι, καθάπερ τὸ νῦν δή, διαφέρον εὑρήσομεν· ἢ πῶς.; ΠΡΩ. Οὕτως. ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἡγεῖται μὲν τὸ ποιοῦν ἀεὶ κατὰ φύσιν, τὸ δὲ ποιούμενον ἀκολουθεῖ γιγνόμενον ἐκείνῳ; ΠΡΩ. Πάνυ γε. ΣΩ. Ἄλλο ἄρα καὶ οὐ ταὐτὸν αἰτία τ' ἐστὶ καὶ τὸ δουλεῦον εἰς γένεσιν αἰτίᾳ. ΠΡΩ. Τί μήν; ΣΩ. Οὐκοῦν τὰ μὲν γιγνόμενα καὶ ἐξ ὧν γίγνεται πάντα τὰ τρία παρέσχετο ἡμῖν γένη; ΠΡΩ. Καὶ μάλα. ΣΩ. Τὸ δὲ δὴ πάντα ταῦτα δημιουργοῦν λέγομεν τέταρτον, τὴν αἰτίαν, ὡς ἱκανῶς ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον; ΠΡΩ. Ἕτερον γὰρ οὖν. ΣΩ. Ὀρθῶς μὴν ἔχει, διωρισμένων τῶν τεττάρων, ἑνὸς ἑκάστου μνήμης ἕνεκα ἐφεξῆς αὐτὰ καταριθμήσασθαι. ΠΡΩ. Τί μήν; ΣΩ. Πρῶτον μὲν τοίνυν ἄπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας, ἔπειτ' ἐκ τούτων τρίτον μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἰτίαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων ἆρα πλημμελοίην ἄν τι; ΠΡΩ. Καὶ πῶς;* In eo igitur de causa efficiente, (*αἰτίᾳ*, semper sic), eorum quæ fiant sermo est. Ea describitur sic ut naturam *facientis* a causa solo nomine differre dicatur et utrumque pro uno atque eodem recte habeatur. Idem valere de natura effecti et eius quod fiat. Porro id quod faciat præcedere ubique natura sua, sequi id quod efficiatur et fiat. *Differre autem nec idem esse causam et id quod serviat causæ et quo utatur ad generationem.* Ea denique quæ fiant et ex quibus fiant omnia tria quæ dicta sint genera paravisse. Quartum esse cuius operi illa omnia inserviant, causam, *ὡς ἱκανῶς ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον.* Quod quantopere urgeatur, vide. Principia igitur eorum quæ sunt realia omnia, seu elementa eorum quæ sunt, præstant tria genera, finis, infinitum, mixtum ex his genus, mundus visibilis, nec quidquam hac ex parte desideratur. Sic intellegitur finem h. l. eam vim habere, quæ omnibus aliis locis ideis tribuatur, nec differre eum ab ea cauas quam *εἶδος, μορφήν, τὸ τί ἦν εἶναι* Aristoteles dicat. His si addatur quartum genus, *diversum ab his, causa efficiens, solum in opere faciendo ex paratis subsidiis occupata*, eam ideam boni esse non posse efficitur. Non minus grave argumentum pro causa nostra est hoc, quod Platoni non minus quam Aristoteli difficile explicatu esse visum est, quomodo fieri posset ut ideæ cum rebus terrenis societatem inirent.[1]) Cui difficultati tollendæ inservit *Αἰτία* h. l., Deus in Timæo. Cfr. Zellerum ipsum l. l. p, 596. Nusquam autem ne fando quidem auditum est, in eo Platonem difficultatem aliquam reperisse, quemadmodum res mathematicæ cum rebus terrenis coniungi possent.[2]) Ad eas igitur cum materia coniungendas his moliminibus opus non erat. Non necesse est igitur ut urgeamus h. l. quod perraro apud Platonem ideæ agentes sint (cfr. Zeller. l. l. p. 582), nec id quod plerumque Plato non de una idea, quod Zellerus h. l. factum esse putat, sed de ideis loquitur, cum de rerum essentia verba facit.

---

[1]) Cfr. Phileb. 15, B. Parm. 130, E. — 131, E. sqq. 132, D. sqq. 133, B. sqq. Tim. 35, A. B. Symp. 202, E. sq.

[2]) Cfr. quæ paulo ante a nobis de eadem re dicta sunt.

Restat unus Philebi locus, quem silentio præterire non licet, p. 64, D. *ΣΩ. Καὶ μὴν καὶ ξυμπάσης γε μίξεως οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἢ παντὸς ἀξία γίγνεται ἡτισοῦν ἢ τὸ παράπαν οὐδενός. ΠΡΩ. Πῶς λέγεις; ΣΩ. Οὐδεὶς που τοῦτο ἀνθρώπων ἀγνοεῖ. ΠΡΩ. Τὸ ποῖον; ΣΩ. Ὅτι μέτρου καὶ τῆς συμμέτρου φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡτισοῦν καὶ ὁπωσοῦν σύγκρασις πᾶσα ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην αὐτήν. οὐδὲ γὰρ κρᾶσις, ἀλλά τις ἄκρατος συμπεφορημένη ἀληθῶς ἡ τοιαύτη γίγνεται ἑκάστοτε ὄντως τοῖς κεκτημένοις ξυμφορά. ΠΡΩ. Ἀληθέστατα. ΣΩ. Νῦν δὴ καταπέφευγεν ἡμῖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν. μετριότης γὰρ καὶ συμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι. ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν. ΣΩ. Καὶ μὴν ἀλήθειάν γε ἔφαμεν αὐτοῖς ἐν τῇ κράσει μεμῖχθαι. ΠΡΩ. Πάνυ γε. ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι, σὺν τρισὶ λαβόντες, κάλλει καὶ ξυμμετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, λέγωμεν ὡς τοῦτο οἷον ἓν ὀρθότατ' ἂν αἰτιασαίμεθ' ἂν τῶν ἐν τῇ συμμίξει, καὶ διὰ τοῦτο ὡς ἀγαθὸν ὂν τοιαύτην αὐτὴν γεγονέναι. ΠΡΩ. Ὀρθότατα μὲν οὖν.* Describitur in his, quantum quidem fieri posse videbatur, idea boni per partes atque ita ut præcipuæ tribuantur mensuræ (*μέτρῳ*), secundæ et tertiæ pulchritudini et veritati. Fit id convenienter disquisitioni huius Operis, in quo tantum tribuebatur fini et mensuræ. Erunt igitur etiam hæ ideis annumerandæ non minus quam pulchritudo et veritas, quibuscum illæ coniunctæ ideam boni constituunt. An putamus ideæ alicuius causam et originem aliud quid esse posse quam ideam? Sic idea boni reliquarum idearum causa est, et cum adscenditur ad eam, tum descenditur ab ea per ideas; res mathematicæ hic omnino exclusæ sunt. Cfr. Pol. VI, 505, A. 506, A. 508, E. 509, A. B. 511, B. VII, 517, B. 532, A. Non sine ratione igitur vocem *τὸ πέρας* ad significandas ideas a Platone adhibitam esse ex hac *τοῦ μέτρου* vocis synonymæ significatione colligimus. Atque hic est Pythagoræismus ille Platonicus, quem diximus.

Iam ad finem deducta ea disputationis parte quæ est de Philebi locis, accedamus ad eam, quæ est de Ed. Zelleri opinionibus.[1]) Orditur is inde ut Platonem in Philebo 23, C. sqq. coll. 16, C. quattuor rerum genera distinguere dicat, finem, infinitum, mixtum ex utroque, causam mixtionis. Infinitum Platonem ait describere sic ut non possimus non cogitare de materia Platonica, mixtum esse mundum visibilem. Quæ res si ita est, ut vere est, si infinitum materia est, mixtum mundus visibilis, quidni finis, qui est oppositus infinito, ideæ sint, quæ solæ, secundum Platonis constantem doctrinam, id essentiæ quod rebus inest, rebus attribuant? Sunt hæc tanta necessitate inter se coniuncta ut alterum sequatur alterum necessario. Ita factum est ut, Zellero excepto, de ea quidem re omnes interpretes inter se consentiant, Brandisius, Steinhartus, Susemihlus. Recte autem postea Zellerus, adhibito Philebi loco, qui est p. 23, C., iisdem his viris, qui *πέρας* de ideis, *αἰτίαν* de idea boni intellegant, id opponit, quod sic Plato.

---

[1]) Cfr. Zeller. p. 577, 1.

qui mundo visibili semper mundum idearum, ut unum, ex adverso ponere soleat, hoc uno loco tantum discrimen facturus esset inter summam ideam et reliquas ut ad diversas eas classes revocaret, earumque discrimen par faceret ei, quod inter mundum idearum et mundum visibilem intercedat, quod non verisimile posse videri recte ait. Mihi autem, qui de fine (*πέρατι*) cum illis viris consentiam, *αἰτίαν* vero de Deo dici statuam, præter ea quæ docere videantur Platonem ideam boni et Deum æquiperasse, (quæ tamen res mera coniectura nititur nec ullo certo testimonio firmatur), non recte id opponit, quod sic bonum ad classem *τοῦ πέρατος* referre cogar, (quasi id suo loco recte fieri non possit), quum tamen in Republica VI, 508, sqq., (causa quippe scientiæ et veritatis,) ultra omnem essentiam et scientiam extollatur, et in Philebo p. 64, C. sqq. aperte causa mixtionis dicatur; porro id quod p. 28, C, sqq. p. 31, A. *νοῦς* et *ἐπιστήμη*, quæ bono prognata sint, cum *αἰτίᾳ* componantur. At recte habent hæc omnia. Nam recte quidem fieri potest ut, si *Αἰτία* sit Deus, cum eadem *νοῦς* et *ἐπιστήμη*, quippe Deo prognata, componantur, quamvis alibi itidem recte eædem ex idea boni repetantur et cum eadem coniungantur. Id sic recte fit, si etiam ideæ boni causa Deus est. Derivatur hoc Philebi loco mens mundi visibilis ex causa principali i. e. Deo, mens hominis ex mente mundi. Cfr. Phileb. 28, C. sqq. 31, A, 30, D. Ita cognatio intercedit inter humanam mentem et divinam *Αἰτίας*. Quæ res non debet mira videri nec parum congrua iis quæ in Republica disseruntur. Est enim Platoni propositum hoc Philebi loco quam brevissime et ad facile persuadendum aptissime docere, quantum præstet *νοῦς* voluptati. Quod sic facillime fieri poterat, si nostras mentes cum mente divina cognatas esse probaret. Eam rem nemo in dubium vocaturus esse videbatur, nec ad eam probandam longis disceptationibus nec magnis sermonis ambagibus opus erat. Hanc igitur breviorem viam in Philebo philosophus ingressus est, in Republica, ubi omne scriptoris studium ei potissimum rei dicatum est, ut vim et naturam ideæ boni, ad quam rem omnium gravissimam, optimæ Reipublicæ et totius Operis summum finem, omnis ibi redibat oratio, quam plenissime illustraret et omnes eius virtutes in clarissima luce collocaret, aliter agendum erat. Poterant eo loco, quo non solum sic de idea boni, sed etiam de reliquis ideis ita disseritur, ut, quæ inter eas ratio intercedat. eluceat, et methodus disserendi dialectica plenissime describitur,[1]) — poterant igitur eo loco, immo debebant ad ideam boni ea referri et ex eadem repeti, quæ in Philebo ad Deum auctorem referebantur breviter. Nec pugnant hæc inter se. Immo hæc Philebi illustrant ea quæ in Republica disseruntur obscurius. Nam etiam ideæ boni Deus auctor est, et quam habet idea boni vim et efficaciam a Deo habet. Sic mirum non videbitur quod in Philebo quasi breviore via ad Deum auctorem referuntur, quæ in Republica ideæ boni sunt, *νοῦς* et *ἐπιστήμη*. Ceterum etiam in Philebo p. 59. C. D. *νοῦς* et *φρόνησις* cum ideis coniun-

[1]) Cfr. Pol. VI, 505, A. sqq. D. 508, E. 509, B. 511, B. 517, B. 532. A.

guntur. Reipublicæ vero locum, qui est VI, 509, B., nemo luculentius explicuerit A. Trendelenburgio, immortalis memoriæ viro, quem cfr. de Platonis Philebi consilio p. 19. «Inter ideæ ponendæ rationes una maxime latere non debet. Est autem rerum consilium et finis; neque enim Platoni sufficit intelligere, esse aliquid et quid sit, sed cur ita esse ipsis rebus optimum sit requiritur. Cuius rei præclara expositio in Anaxagoræ doctrina examinanda Socrati Platonico debetur in Phædone (p. 97, C. sqq.). Quo loco quod in rebus intelligendis *ἀγαθὸν* tanquam summa finis ratio postulatur, id in ipsis ideis earumque concentu perficitur. Hanc intimam idearum causam, sicut aliis locis, ita in rep. X. p. 601, D. significatam inveneris. Ut enim qui instrumenta parat, usum circumspicit, cui accommodanda sint, ita ideæ, ad quas universo loco respicitur, rei quasi finem continent. Hic, si quid aliud, singulis ex idea boni repetendus est; quid enim aliud bonum quam summus, cui rerum concentus inest, finis? Unde fieri potest, ut bonum dignitate plus polleat quam esse et substantia. Hæc enim boni maiestas, ut ad finem et quasi intelligentiam substantiam per se cœcam dirigat. Hoc quidem illud est, in quod significatio alioquin obscura intendat. (resp. VI, p. 509.) *οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.* Esse aliquid (*οὐσία*) per se quidem inane est, nisi boni idea id quod est ad dignitatem evexerit. Quare *hic* locus Deum innuat necesse non est.» Tanto id minus necesse est, quod in Symposio, in quo Opere idea pulchri eundem locum obtinet, (cfr. Symp. 210, A.—212, B.), quem idea boni in Republica, utrumque coniungitur. Idearum cum animis communicatio, si accedat Dei voluntas atque amor, animi immortalitatem parant donantque. Cfr. p. 212, A. *ἐνταῦθα αὐτῷ μοναχοῦ γενήσεται, ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ καλόν, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς, ἅτε οὐκ εἰδώλου ἐφαπτομένῳ, ἀλλὰ ἀληθῆ, ἅτε τοῦ ἀληθοῦς ἐφαπτομένῳ. τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι καὶ εἴ πέρ τῳ ἄλλῳ ἀνθρώπων, ἀθανάτῳ καὶ ἐκείνῳ.* Ut in Timæo Deus mentis oculos in ideas convertens mundum format, sic hoc loco ideæ efficientiam a Deo accipiunt, et ut in Timæo mundi æternitas non ab idearum efficacia, sed a Dei benignitate repetitur, (cfr. p. 41, A. sq.), eodem prorsus modo hoc loco animorum immortalitas donum Dei est amantis homines. Nemini autem ad hunc usque diem in mentem venit ideam pulchri pro Deo habere. Cur igitur de idea boni aliter iudicant, eamque aut ipsam pro Deo habent aut certe ideæ huius vim et Dei naturam non satis distinctam esse volunt a Platone? Hæc dicta sunto etiam contra C. Stumpfium. Cfr. eius librum docte sane et sagaciter scriptum: Quæ ratio intercedat inter Deum Platonis et ideam boni, scripsit C. Stumpf. Halis 1869. Is ideam boni et Deum, pugnantia secum, in unum coniungit; ab ipso inventis pro Platonicis utitur (cfr. p. 61. relationem primam); incredibilia pro veris vendidat. Cfr. p. 75. in. p. 89. in. p. 92. in. p. 94. c. d. p. 96. Quid autem prohibeat quo minus aliis locis, quibus de ideis in universum sermo est, idea boni eodem loco et ordine sit, quo reliquæ omnes? Cfr. Tim. p. 30, C. sqq. Philebi vero locum

qui est p. 64, C. sqq. non recte accipere V. D. in aperto est. Nam ibi sermonem non esse de causa ea quæ diversa mixtionis elementa in unum coire faciat vel cogat, sed de ea quæ efficiat ut mixtio vere mixtio dici possit, nec ξυμφορά, nemo dubitaverit. Eius vero rei esse ideam causam sponte patet.

Iis quæ iam exposita sunt addit Zellerus hæc: Descriptionem πέρατος ita se habere ut ad ideas pertinere non possit. Iis quæ p. 25, A. D. legantur res mathematicas accurate describi, ideas non accurate, quum ideæ latius pateant quam numeri et mensuræ, nec verosimile sit eam idearum proprietatem ideo præcipue urgeri, non exclusis reliquis proprietatibus, vocabulo πέρατος quod τῷ ἀπείρῳ h. l. opponantur; esse enim h. l. Platoni aperte propositum accuratam et universalem diversorum principiorum definitionem exhibere. Contra ea monemus hoc: pertinere hunc locum ad ἀριθμοὺς εἰδητικούς; eorum proprietatem accurate describi h. l.. reliqua non respici h. l., eius rei argumentum esse quæ p. 64, C. de vi mensuræ disserantur; porro γένεσιν εἰς οὐσίαν non esse locum habituram, si hæc de rebus mathematicis intellegantur;[1]) quod si Zellerus opinioni firmamenta quærens ad Aristotelem nos ableget, qui præter ideas et materiam sæpius res mathematicas tanquam tertium rerum genus commemoret, non debere hoc eam vim habere ut Platoni eam doctrinam obtrudamus. Cfr. H. Bonitz. comm. ad Arist. Met. p. 92. »Quum autem Plato veram et absolutam essentiam unice ideis tribueret, reliqua sive mathematica sive sensibilia eatenus esse conseret, quatenus ex ideis partem quandam essentiæ recepissent, Aristoteles aliquantum immutavit Platonis sententiam, quod tria hæc genera entium, quasi quæ eodem essent iure, iuxta se posuit» etc. Platonis certe locum pro causa sua nullum proferre Zellerus potuit. Mundi vero anima, quam Zellerus l. l. II, 1. p. 500 ed. 2. in auxilium adducit, et τὰ μαθηματικὰ et ἁρμονικὰ non sunt idem, et parallelismus, quem inter hunc Philebi locum et animam mundanam Timæi statuit esse nullus est, nec potest esse, quum h. l. de principiis rerum realibus agatur. Ceterum cfr. quæ supra suo loco de ea re dicta sunt et comm. nostram priorem.

Aliud pro sententia sua argumentum Zellerus inde repetit, quod, quum νοῦς et ἐπιστήμη non cum fine, sed cum genere quarto αἰτίας componantur, et quum secundum Platonem scientiæ alicuius dignitas et veritas ab ea re pendeat, in qua illa versetur, non posse recte fieri putat ut ideæ, quæ sint summum contemplationis obiectum, quarum possessione scientia oriatur, ad inferiorem τοῦ πέρατος gradum detrudantur. Videntur hæc non in me dici posse, verum in Brandisium et eos qui eius sententiam sequuntur. Videtur tamen Zellerus in hac argumentatione nimium urgere id, quod Plato νοῦν cum quarto αἰτίας genere composuerit. Nam multi possunt esse eius con-

[1]) Cfr. Tim. 28, A — 29. A. 30, C. 46, C. sq. 68, E. Phæd. 100, B — E. Phædr. 247, D. 250, B. sq. all.

iunctionis gradus, et propiores et remotiores; Platonem vero non cogitare de nimis arcta cum *αἰτίᾳ* coniunctione docent eius verba: *Μεμνώμεθα δὴ καὶ ταῦτα περὶ ἀμφοῖν, ὅτι νοῦς μὲν αἰτίας ἦν ξυγγενὴς καὶ τούτου σχεδὸν τοῦ γένους.* Cfr. p. 31, A. Ceterum omnem eam difficultatem expeditam videbis iis quæ modo diximus de eo quomodo explicandum esse videatur ut Plato in Philebo Deo in Republica ideæ boni principem locum assignaverit. — Non gravius est id argumentum, quod Zellerus ex eo repetit, quod vitæ ex intellegentia et voluptate mixtæ p. 27, D. sqq. priores tribuantur præ fine, si *πέρας* de ideis intellegendum sit. Nam dicuntur hæc ratione habita imbecillitatis humanæ et vitæ hominum ut nunc comparata est,[1]) nam in bonorum tabula, quæ vocatur, quæ extat p. 65, sqq. vere priores fini tribuuntur.

In me vero dictum est quod Zellerus ad rem non pertinere putat, quod Plato etiam alibi æquali, duplici, similibus utatur ad demonstrandam idearum a rebus singulis diversitatem, quum iisdem in locis etiam alia adhibeat, iustum, pulchrum, magnum, parvum etc. Ego autem ex his id tantum colligebam solere Platonem vocabula quæ in his occurrant de ideis usurpare, nec debere ea ad res mathematicas trahi necessario, et recte colligebam. Ceterum cfr. quæ ea de re supra dicta sunt.

Non minus me a scopo aberrare Zellerus putat eo, quod ego dixerim *τὸ πέρας* non posse res mathematicas significare, quod sit generibus et speciebus distinctum, quod in quantitatem per se non cadat, esse enim *τὸ πέρας* in numeris procul dubio diversum ab eo quod sit in figuris, in sonis, in motibus etc. Quis autem talia huc referat ubi de mathematicis puris sermo est? Non minus falsum est quod Zellerus hoc eodem loco contendit, non esse in his (p. 23, E. p. 26, C. sq.) omnino sermonem de infinito et *fine*, sed de infinito et mixto, quæ sint multifariam discissa et divisa, provocans ad verba, *καὶ μὴν τό γε πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν οὔτ' ἐδυσκολαίνομεν ὡς οὐκ ἦν ἓν φύσει* Cfr. p. 26, D. At cfr. p. 23, C. *ΣΩ. Πάντα τὰ νῦν ὄντα ἐν τῷ παντὶ διχῇ διαλάβωμεν, μᾶλλον δ' εἰ βούλει, τριχῇ. ΠΡΩ. Καθ' ὅτι φράζοις ἄν. ΣΩ. Λάβωμεν ἄττα τῶν νῦν λόγων. ΠΡΩ. Ποῖα; ΣΩ. Τὸν θεὸν ἐλέγομέν που τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων, τὸ δὲ πέρας; ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν. Τούτω δὴ τῶν εἰδῶν τὰ δύο τιθώμεθα, τὸ δὲ τρίτον ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι συμμισγόμενον.* Sunt hoc loco aperte *τὰ δύο* finis et infinitum. Et p. 24, A. *Λέγω τοίνυν τὰ δύο, ἃ προτίθεμαι, ταῦτ' εἶναι ἅπερ νῦν δή, τὸ μὲν ἄπειρον, τὸ δὲ πέρας ἔχον. ὅτι δὲ τρόπον τινὰ τὸ ἄπειρον πολλά ἐστι, πειράσομαι φράζειν· τὸ δὲ πέρας ἔχον ἡμᾶς περιμενέτω. ΠΡΩ. Μένει.* Pertinere igitur etiam hæc vides ad finem et infinitum. Et p. 25, D. *ΣΩ. Ναί. συμμίγνυ δέ γε εἰς αὐτὴν τὸ μετὰ ταῦτα τὴν αὖ τοῦ πέρατος γένναν. ΠΡΩ. Ποίαν; ΣΩ. Ἣν καὶ νῦν δή, δέον ἡμᾶς, καθάπερ τὴν τοῦ ἀπείρου συνηγάγομεν εἰς ἕν, οὕτω καὶ τὴν τοῦ περατοειδοῦς συναγαγεῖν, οὐ συνηγάγομεν· ἀλλ' ἴσως καὶ νῦν ταὐτὸν δράσει· τούτων ἀμφοτέρων συναγομένων καταφανὴς*

[1]) Cfr. Phileb. 62, A. sqq. 63, A et B.

*χακείνη γενήσεται. ΠΡΩ. Ποίαν καὶ πῶς λέγεις; ΣΦ. Τὴν τοῦ ἴσου κτλ.* De quo loco ne longi simus ad Stallbaumii explicationem hæc lecturos ablegare licet. Nominari igitur in his quoque finem et infinitum vides, et quæ in unum conducta non sunt, ea plura continent. Recte igitur nos finem in genera et species divisum esse diximus. Omiserant ii qui colloquuntur h. l. species finis in unum conducere, quoniam eius species ex infiniti speciebus, quibus contrariæ essent, sponte colligebantur. Ex his igitur lucem accipiunt quæ falsæ Zelleri interpretationi ansam dederunt: *καὶ μὴν τό γε πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν οὔτ' ἐδυσχολαίνομεν ὡς οὐκ' ἦν ἓν φύσει.* Cfr. p. 26, D.

Unum profecto errorem meum detexit Zellerus, quod Aristoxeni locum Harm. El. II, 30. Meibom. falso in auxilium vocaveram. In quo, quasi is error capitalis esset et quasi inde coniecturam de reliquis facere liceret, detorquens mea exultat gaudio Zellerus, satis ea re indicans se non habere quod vere mihi opponat.

His argumentis nixus Zellerus se perstare dicit in sententia ea quam in studiis Platonicis p. 248, sqq. pluribus probare studuerit, quam interea etiam alii probaverint Siebeck. Schneider, scilicet non *τὸ πέρας* sed *τὸ αἴτιον* h. l. eum locum tenere quem alibi ideæ teneant. At non probavit A. Trendelenburg. Ceterum cfr. etiam Philebi p. 59, C. 61, D. E. 62, A. quibus in locis sane mirum fuerit, quod *αἰτίας* mentio facta non esset, si vera essent quæ Zellerus velit.

Denique Zellerus illuc redit ut si *τὸ αἴτιον* (immo *ἡ αἰτία*) h. l. sic describatur, ut rationem quæ mundum creaverit intellegi necesse sit, id sibi nihil aliud velle dicat, quam Platoni *τὸν νοῦν* et ideam boni hac in causa in unum coincidisse et hæc duo, «omnia a ratione effecta esse» et «omnia essentiam suam ab idea accepisse» idem significasse, id quod etiam ex Phædonis loco, quem supra laudavimus, apertum fieri putat.

Quo contra nos qui sic neglegi videamus Platonis de Deo doctrinam, quam potissima eius Opera, Phædo, Philebus, Respublica, Timæus, ut Leges taceam, tantopere commendent, neglegi idearum naturam, qua rerum quidem in se essentiam contineant, sed perraro agentes sint, utrumque disiungentes pro iure nostro quærimus, quid prohibeat, quominus de Platone eadem valeant, quæ in Socrate tantis laudibus ferat Zellerus,[1]) præsertim quum Plato ipse, cuius tam pura fuit theologia (cfr. inter alia Reipublicæ evtremum secundum librum, Tim. p. 29, E.), Socratis de summo numine persuasionem, religionem, reverentiam, snas ipse cogitationes sua animi sensa aperiens *ἠθικῶς*, immortali laude celebraverit ea, quæ extat in Symposio, p. 220, C. sqq., de qua præclare Hasius: Eine Nacht durch blickte Socrates zu den Gestirnen über ihm und auf die unergründliche Tiefe seines Gemüths in ihm: als aber die Sonne aufging, fiel er nieder und betete zur Gottheit. So blicket Jeder hinauf

---

[1]) Cfr. hist. phil. II, 1. p. 146, sq. ed. 3.

und hinab, dessen Geist aufschwebt über dem Chaos der Welt, und sinnt nach den Räthseln über und in ihm. Lange Nächte hindurch sannen Einzelne und Völker. Als aber ihre Sonne aufging und sie hörten Morgengeläute vom Himmel her, fielen sie nieder und beteten an den grossen Weltgeist, sich erinnernd, dass sie selbst auh göttlichen Geschlechtes seien. Sed talia non curant magna ingenia. Ceterum cfr. etiam ex Philebo p. 26, E. p. 28, E. p. 30, A. sqq. Pol. X, 596, B. sqq.

Sed iam ad Vos, quibus hæc dicata sunt, nos iterum convertamus, Viri doctissimi et humanissimi. Memores scripta hæc esse ne longius serpat error damnosus neve gliscat vitium huic ætati commune, iam lætos agite dies festos et faustis ominibus initantes quartum sæculum Universitatis Vestræ perpetua fruamini felicitate; imitamini maiorum Vestrorum exempla; insistite Platonis, Aristotelis vestigiis et amicam ante omnia veritatem habentes scholis habendis et edendis scriptis bonas artes et litteras ut adhuc fecistis augete.